

profert Dn. CARPZOVIVS & rationibus & au-  
toritatibus copiose solideque refelluntur. Mihi  
vero fas sit & sufficiat, pauca hæc inde decerpere  
p. 9. ait: *Theologorum orthodoxorum magna phalanx*  
*formulam absolutionis conditionatam defendit.* Agmen  
ducat Paulus TARNOVIUS, *Theologus quon-*  
*dam Rostochiensis, de sacros. Minist. L. 2. C. 23.*  
p. 829. ubi hæc verba ponit: *Forma & modus ab-*  
*solutionis SEMPER SIT CONDITIONALIS.* *Quia*  
*enim solis vere pænitentibus impertiri potest & debet*  
*absolutio, quinam autem sint vere pænitentes, soli Deo,*  
*cordium scrutatori, certo constat, de quo Minister Ec-*  
*clesiae tantum probabiliter ex dictis & factis Confiten-*  
*tium colligit, ideoque NONNISI CONDITIONALI-*  
*TER formari intelligique absolutio privata & peculiaris*  
*potest, quemadmodum etiam in communi & publica*  
*concione nemini, nisi vere credenti, remissio peccatorum*  
*annunciatur & impertitur. Quæ verba & in Consil.*  
*Theol. DEDEKENNI Vol. 1. f. 722. inveniuntur.*  
Secundo loco prodeant NB. Theologi Witteber-  
genses, qui *in Consil. Witteb. Vol. 2. f. 144. 145.* diser-  
te formulam absolutionis conditionatam defen-  
dunt. Tertius testimonium veritati perhibeat  
HVTTERVS, qui *in Locis commun. Theol. art. 21. C. 3.*  
*n. 2. f. 765. a.* ita: *Absolutio semper, vel tacite, vel*  
*expressè, præsupponit conditionem Confessionis. - - Ab-*  
*solutio a Ministro nonnisi sub conditione Confessionis rite*